24099 M. 12 ...ine Medical Library

DE

NUMERI SEPTEM DIGNITATE MEDICA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IX. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CONRADUS CHRISTIANUS HENRICUS ULRICH

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

B. WERY, med. et chir. Dr.

C. STRECKER, med. et chir. Dr.

M. KOEHLER, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

AVUNCULO

OPTIMO CARISSIMO,

CHRISTIANO SCHNAP

ET

PARENTIBUS DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE PIE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

I.

„Typorum et periodorum febrilium miracula vidit omnis aetas et obstupuit: videbit omnis posteritas, posteritas forsan omnis obstupescet.“

Werlhof obs. de febr. praec. interm. Hannov. 1732. Sect. IV. §. 6.

Inde ex antiquissimis temporibus numerus septem gravis ideoque sacer putatus est. Jam Mosaicis libris traditur mundi creationem septimo die esse finitam; septem veteres numerabant Plejades, septem ordines astrorum erraticorum, e quibus inundationes, fluxus et refluxus maris dependerent; septimo quoque mense oriebatur aequinoctium, autumnale et vernale, septenis diebus luna mutabatur, septem denique insignes erant portae Thebarum, septem miracula mundi; quid mirum, huic numero ipsi, quem postea Cicero (1) nodum omnium rerum nominavit, arcanam attributam esse vim, quae magnum exerceat regnum et in rebus coelestibus et in terrestribus.

Primum a sapientibus Indicis motuum rhythmus numeris explicatus est; deinde numerorum scientia, quam Confu-

(1) In somnio Scipionis.

cius Chinensibus tradidit, a sacerdotibus Chaldaeis atque Aegyptiacis in mysteriis servata, denique autem a Pythagora, sapientissimo illo philosopho Samio, maxime exculta est. Observavit enim nos et in arte musica et in poëtica certas sequi periodos vel rhythmos, et arbitratus est animam nostram eodem modo harmonice compositam esse ex elementis contrariis, quam rem Amatus Lusitanus (1) nobis hisce verbis refert: »Pythagorici septenarium numerum humanae vitae vehiculum ac complementum appellant; complectitur enim septenarius numerus corpus et animam, nam corpus ex quatuor constat elementis et totidem qualitatibus efficitur; animae vero ternarius attribuitur propter triplicem vim ejus, scilicet rationalem, irascibilem et concupiscibilem.« — Aristoteles etiam probat opinionem Pythagorae de natura animae humanae; praeterea affirmat (2) foetum humanum vivere non posse extra uterum ante aetatis mensem septimum; septimo post partum mense infantes dentibus instrui, bis septem annis seminis secretionem incipere et ter septem annis hominem validum fieri ad procreandum. — Plato (3) laudat vim sonorum musicalium in animum humanum et discernit septem sonos ab una octava ad alteram; deinde numerum septem gravissimum esse et in ratione criticorum dierum et in annis evolutionis corporis nostri.

E philosophia illa numerorum doctrina etiam in medicinam transiit et jam in scriptis Hippocraticis, sed iis,

---

(1) Introduct. medici ad aegrotant. de crisi et dieb. critic. pag. 9.

(2) Hist. animal. lib. III., cap. 4.

(3) In Timaeo ed. Bipont. Vol. IX., pag. 339.

ut verisimile, suppositis (1), numeri septem gravitas sanctitasque contenditur; ita tota vita hominis inde ex generatione circumscribitur stadiis septenorum dierum; ipse septimestris partus est magis vitalis, quam octomestris; in morbis dierum criticorum maximi momenti est septimus, deinde quartus decimus, vicesimus octavus, quadragesimus secundus etc. Febres tertianae denique crisin habent undecim diebus, i. e. septenario uno et dimidio, quartanae duabus hebdomadibus, quintanae duodeviginti diebus; i. e. hebdomadibus duabus et dimidia (2).

Tamen ex his minime licet Hippocratem arguere Pythagoreismi, quia illa scripta non genuina esse videntur et alii loci veri librorum ostendunt eum minime secutum esse solum numerum, sed potissimum experientiam; et praeterea ipsi ejus adversarii, Asclepiades et Celsus, qui dies criticos omnino repudiaverunt, saepe tamen ut fortuito et involuntarie eorum mentionem faciunt; ceterum etiam optimi medici omnium temporum, e. g. F. Hoffmann, Boerhave, v. Swieten, Reil, Sydenham, alii Hippocratis dicta omnino confirmaverunt. Accuratissima morborum decursus observatione invenit, ad crisin maximi momenti esse dies inaequales (3), non solum quia iis plurimi morbi acuti judicabantur, sed etiam quia minus revertebantur, quam si aequalibus diebus crisis intraverat. Plurimum valebat septimus

---

(1) De partu septimestr. Oper. ed. Kuehn Vol. I., p. 452. et Epistol. ad fil. Thessal. Vol. III., p. 823. De carnib. Vol. I., p. 441.

(2) De carnib. Vol. I. p. 443.

(3) Hipp. in Epid. lib. I. Op. Vol. III., p. 410. Aphorism. sect. 4.; Prognost. Vol. I., 116. Coac. praenot. Vol. I., p. 244.

quisque dies, qui in medio erant dies indicantes, indices nominavit, quia proximo die critico crisin fore indicarent; critici, decretorii, judicatorii igitur erant septimus, quartus decimus, vicesimus, vicesimus septimus etc. (1). Minime autem contendebat hunc dierum ordinem esse immutabilem et crisin semper ita certis diebus observari; sed saepe alienari dicit tempestate, constitutione annua, corporis indole atque conditione, medici cura etc. (2). Astra denique respicienda esse putat, quae in morbis vim exserant. Adversarius ejus gravissimus, Asclepiades Prusiensis, totam doctrinam crisium et dierum criticorum repudiavit, quia multae febres quoque sexto vel octavo die sine damno decernerentur; involuntarie autem ipse criseos exempla protulit, e. g. phrenitidem septimo die finiri (3), quare adeo nimis dierum numerum respexisse a Caelio Aureliano (4) vituperatur. — A. Cornelius Celsus etiam crisin certis diebus affixam esse negavit et Hippocratem Pythagoreismi arguit (5) hisce verbis: »verum in his quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagorici numeri fefellerunt, cum hic quoque medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri.« — Archigenes Apameensis numerum septenarium plurimum valere in morbis arbitratus est (6), omnium autem veterum

(1) Aphor. sect. 2. Vol. III. p. 714. de judicationib. s. crisib. Vol. I., 137.

(2) Aphor. sect. 1. sect. 3. 4.

(3) Cael. Aurelian. acut. morb. lib. I., cap. 15.

(4) loc. citat.

(5) Celsus de medic. lib. III., cap. 4. ed. Albers et Ritter Colon. 1835.

(6) Galen. de dieb. decretor. lib. II., cap. 10. in Oper. Vol. IX., p. 816.

medicorum maxime Claudius Galenus Pergamenus, qui contra Hippocratem et contra omnem accuratam experientiam semper certis diebus, quos ex Hippocrate enumerat, morbos decerni contendit (1). Diem sextum valde perniciosum ratus, qui septimum antecedat, diem tyrannum vocavit, quia crisis hoc tempore incipiens saepe mortem afferret. Septimus autem est tanquam rex et dierum criticorum is, qui plurimum valeat, sive morbus transeat in mortem, sive incipiat reconvalescentia, aut morbi reditus. Deinde sequitur quatuordecimus, nonus, undecimus etc. Dies quartus gravis est, quia dimidium periodi septenariae. Tamen omnibus diebus crisin comparere posse, sed debilem admodum, nec ita salutarem, confitetur, aeque ac medicum facile falli, et decursum morbi alienari posse constitutione annua, tempestate, diaeta, corporis conditione, cet. Numerorum autem vim arcanam, praesertim numeri septem, quem multi ad Plejades, portas Thebarum etc. referebant, omnino repudiavit, causamque septenariae periodi in commutationibus, quas sol et luna subeunt, investigavit (2); vim autem atque virtutem periodorum septenariarum peculiari calculo e sideribus explicavit (3), simul eos deridens, qui numero huic ipsi arcanam vim insitam credebant.

Insequentibus temporibus usque ad Paracelsum, igitur usque ad saeculum sedecimum, tam magna erat auctoritas Galeni, et medici magis minusve tam seduli ejus sectatores, ut proprias disquisitiones non instituerint et potissimum si-

(1) Galen. de dieb. decretor. lib. I., cap. 4. 5. lib. II., cap. 8.

(2) Galen. de diebus decretor. lib. III. cap. 2. sqq.

(3) loc. citat. cap. 7.

dera duces atque regulatores tam sanae, quam morbosae vitae putarint. Tamen pauci medici, ut etiam in deterrimis temporibus aliquid boni semper elucet, magis naturae phaenomena, quam numeros observaverunt, e. g. Oribasius, qui venaesectionem, indiciis morbi jubentibus, quovis die, instituendam esse monet. Paulus Aegineta diem valde laudat quatuordecimum, quo crisis sit exspectanda; praeterea autem post septem etiam menses et totidem annos perfici posse affirmat (1). — Inter Arabes praecipue Avicenna memoratu dignus est, quia, fere ubique Galenum sequens, gravissimum diem criticum quartum esse contendit, quem sequatur septimus, undecimus, quatuordecimus, cet. Crises exoriri possunt etiam septimo mense, nec non post annos quatuordecim, sive adeo post viginti et unum; omnia autem, quae ad crises spectant, calculo haud perspicuo explicare studet. Ceterum febres intermittentes septimanas se observasse commemorat (2) et Galenum, qui eas negaverat, hisce reprehendit.: »Et non oportet, ut negentur aegritudines, quas non contigit videre in tempore quodam et quadam regione.« Agrippa ab Nettesheim sideribus et Hieronymus Cardanus praesertim numeris vires attribuerunt supranaturales, quos omnes Cardanus, calculo inutili, e numero septem ortos esse demonstrat.

Primum Galeni auctoritatem, quae mille quingentos annos duraverat, aggredi et labefactare ausus est Theophrastus Paracelsus, vir maximi ingenii, qui quidem explicationibus non perspicuis, dubiis doctrinam suam protulit. Ma-

---

(1) Pauli Aeginetae de re medica Lib. II., Cap. 6.

(2) Avicennae opera omnia Venet. 1568. Canon. lib. IV, fen. 1. tract. 2. cap. 3.

ximi habet inter sidera, quae in hominem agant, lunam, qua de causa etiam septimanam periodum valde laudat e. g. (1): »Critica dies arsenicalis est septima in peracutis; crisis sulphurialis habet criticum in sexta septimana, in acutis in tertia septimana, in pejoribus in secunda septimana.« — Hieronymus Fracastori omnem lunae vim in morbos rejecit et typos ex morborum materia varia ejusque irritatione diversa explicat. De crisibus ita disserit (2): »Progressus crisium non per septenarias, sed per quartanarias periodos pergit, quarum duae septenarium unum faciunt.«

Tempore, quo in philosophia Platonismus in vitam revocatus erat, Amatus Lusitanus (3) etiam in morbis numerorum virtutem maximi momenti esse contendit. Harmonica consonantia est causa dierum criticorum; dies septimus tantum valet, quia corpus constat quatuor elementis et anima tribus facultatibus, et pergit: »ita enim se habet septenarius numerus in numero criticorum dierum, sicut dies duello designatus, in quo inimici congredi debent, quia in eo discordia ex directo morbi initio respondens comperitur, quia inter septenarium numerum et primum discordia est.«

Joh. Bapt. ab Helmont (4), crises omnino repudians, theoriam sistit dynamicam; archaeus, qui in ventriculo sedem habet, auctor est omnium motuum atque febrium; idem nunc defatigatus, nunc agens, hostem febrim exeutere nititur; inde periodi.

---

(1) De Tartaro lib. II. tract. 2. cap. 4.

(2) De causa criticor. dier. cap. 10. Opp. Venet. 1555.

(3) Cur. med. Centur. IV. Basil. 1556. Introduct. medici ad aegrotant. p. 9 sqq.

(4) Opuscula Francof. 1707 de tempore p. 603, de febrib. p. 105.

Ludovic. Mercatus vero doctrinam criticorum dierum defendit et sidera, praesertim lunam, causam habet. — Sylvius et Willis pravitatem succorum accusant; Mead (1) rursus lunam. — Th. Sydenham confitetur se typi causam nescire (2). — H. Boerhave et ejus commentator G. v. Swieten vitium et quidem tarditatem succi, quem cerebrum ad cordis fibras emittat, causam proximam febrium intermittentium earumque periodicitatis habent (3). — F. Hoffmann dicit (4): »causam intermissionis motuum in arteriis et nervis quaeri debere non inepte censemus,« et defendit veteres circa dies criticos, respiciens sidera et praesertim lunae immutationes. — Adversarius ejus G. E. Stahl (5) putat in febri maxime animam sed eam involuntarie atque inconsiderate, tamen, ut debeat, esse agentem. Natura sequitur praecipue septenarias periodos, quae respondent phasibus lunae, deinde aequinoctiis et solstitiis. Paroxysmos et intermissiones explicat e naturae consuetudine periodicos motus excitandi et loquitur in specie ita de periodo septenaria (2): »uti secundum naturam in simpliciter administranda oeconomia sua septenariis periodis gaudet, ita easdem etiam servat in amoliendis, dimovendis et emovendis praeter naturam urgentibus causis.«

Medicus (7) periodicos morbos non sideribus, sed pri-

---

(1) Mead, Tract. de imperio solis ac lunae in corp. hum. et morb. inde oriund. 1763.

(2) Oper. omnia Genev. 1736. Tom. I, sect. 1, cap. 5.

(3) Boerhave, Aphorismi de cogn. et curand. morb. §. 755.

(4) Opera omnia Genevae 1748 et quidem in Philosophia corp. hum. aegr. I, sect. 1, §. 7.

(5) Theoria med. vera ed. Juncker, Halae 1737.

(6) Libr. citat. p. 503.

(7) Geschichte periodischer Krankheiten. Karlsruhe 1764. Pag. 278.

marum viarum irritabilitate adaucta determinari existimat. Quod attinet ad intermittentes febres, Senac, Pringle, Burserius (1) accusant acrimoniam succorum, praesertim bilis et causam externam aërem palustrem. — Cullen explicat febrium accessus e quotidiana vitae revolutione et dies criticos secundum Hippocratem enumerat. — Selle invenit causam febrium continuarum in sanguine, periodicarum in ventriculo. – Reil (2) discernit causam typi morborum internam, structurae functionique singulorum organorum insitam, et externas, quas invenit in lunae commutationibus et actione in terram, in aëre atmosphaerico coelique temperie; animadvertit denique, omnes morbos, qui in abdomine sedent, ad periodicitatem esse impensos. — Autenrieth (3) explicat eam ex legibus irritabilitatis organicae, quae exhausta quiescit, restaurata reagit.—

Baumgaertner (4) reperit caussam typi remittentis ac intermittentis in morbi materiae immutationibus in corpore; ad provocandam ejus reactionem quaedam materiae noxiae copia necessaria est, quae, reactione provocata, omnis vel partim ex corpore ejicitur; crescente materia rursus morbi accessio oritur acerbior; deinde in nervorum proprietate, quorum irritabilitas irritatione ipsa exhauritur et tempus vult, ut restauretur; postremo in rhythmico effectu universarum naturae virium, quae in corpus nostrum agunt (5). — Baumgarten-Crusius (6) periodorum causas externas atque internas agnoscit; externis adnumerat siderum vires, lucis, ca-

(1) Burser. Instit. med. I, cap. 1. §. 98.
(2) Fieberlehre I, 182 sqq.
(3) Dissert. de natura morbor. period. Tubing. 1806.
(4) Natur und Behandlung der Fieber. Bd. I. §. 42, 57.
(5) Grundzüge zur Physiologie §. 578.
(6) Periodologie §. 219, 285, 324–336.

loris atque frigoris, aëris, alimentorum periodice sumptorum impulsus atque efficaciam; internae sunt causae incrementum corporis, quod certas et regulares immutationes percurrat, consuetudo, idiosyncrasiae, indoles hereditaria morborum periodicorum, vis denique animi ipsius. — Secundum Stark (1) typi in parallelismo vitae microcosmicae cum macrocosmica causam habent. In illa periodi hujus redeunt et vim afferunt; interdum autem in morbis antagonismus quidam inter periodos macro- et microcosmicas observatur. Varia denique rhythmi genera tam in vita universali, quam in singulari unam eandemque, sed adhuc ignotam causam habent. — Burdach (2) veram causam omnis reditus periodici in vitae nisu se evolvendi reperit, i. e. in nisu continuo in evolutione pergendi et in contrario aequalitatem conservandi, quare immutationes periodicae in vita ipsa et in corporis nostri organisatione causam habent, neque e rebus externis dependent. Omnes morborum periodi prodeunt e nisu in priorem legitimam conditionem redeundi, qui quidem saepe nimis debilis ad id efficiendum est. — Sed plura in ultima dissertationis parte afferre in animo est, quae medici recentiores causam periodicitatis ducunt. Ex enumeratione, quam feci, historica opinionum medicorum omnium temporum elucet, multos doctrinam criticorum dierum utique repudiasse, alios ipsos numeros, accurata observatione naturae neglecta, nimis coluisse, ita ut veritas in medio sita esse videatur. Crisin saepissime certis diebus perfici optimi medici cujusvis aetatis affirmant, quare causas disquirere debemus, cur multi non ita perspicue atque constanter crises observaverint. Primum respicienda est

(1) Allgemeine Pathologie. Leipzig 1838. §. 538.
(2) Physiologie. Leipzig 1830. T. 3. lib. 9.

conditio climatis et natura loci, qua de re jam Celsus dixit (1): »differre quoque pro natura locorum genera medicinae et aliud opus esse Romae, aliud in Aegypto, aliud in Gallia.« Recentiore aetate praecipue Baglivius (2), Mead (3), alii opinionem defendebant in nostris regionibus borealibus rarius crises perfecte evenire, quam sub coelo, ubi Hippocrates aegros observarit curaritque; tamen Freind, Testa (4), Jackson (5) affatim demonstrarunt, nihilominus sub quovis Jove, atque etiam in nostris regionibus crises observari posse, et fidem omnino dandam esse Hippocrati, quippe qui etiam in diversis locis, in insula Delo, Libya, Scythia morbos curaverit. Nec aliter se habent causae epidemiae, quae morborum decursum crisesque perturbare possint; morbi enim epidemii re vera variis temporibus et variis locis celerius tardiusve decurrunt et magis minusve distincte decernuntur, tamen morbi ubique sibi aequales remanent; circa symptomata essentialia, pathognomonica. — Constitutio corporis aegri etiam multum valet, nam si robustum est, neque dyscraticum, et morbo praecipue inflammatorio affectum, crisis est distincte et tempore satis certo observanda, ut secundum Baglivium in agrestibus; e contrario Pringle (6) invenit omnes morbos in nosocomiis tardius decurrere, symptomatibus magis irregularibus, et minus distincte certeque decerni. — Permultum denique efficit ipsa cura medici in regulari morborum decursu, quare jam Sydenham refert, regi-

(1) Celsus de medic. ed. Ritter et Albers praefat. p. 7.
(2) Prax. med. lib. II, cap. 12. §. 5.
(3) De imper. solis ac lunae cap. 2.
(4) Testa, über d. period. Veränderungen etc. p. 173 sqq.
(5) Jackson, Krankheiten von Jamaika, p. 9.
(6) Observations on the Jail or Hospital-Fever, ch. VII.

mine nimis calido nec minus curatione inepta decursum omnino alienari, aeque ac secundum F. Hoffmann (1) intempestiva et inconveniente medicaminum administratione et jam sola diaeta, quas res Sennert, Baglivius, Testa, Reil (2) omnino confirmant. Quum igitur diversissimis temporibus, regionibus, curae methodis, morborum decursus regularis et periodicus tamen remanserit, neque facile medicamentis seu alia vi efficace alienata sit, v. Swieten (3), Cullen (4), Reil, alii, merito illos medicos, qui nihilominus crises criticosque dies semper repudiant, inobservantiae et indiligentiae arguunt, quum non solum dies sint numerandi, sed, morbo et aegro accuratissime investigatis, etiam res externae respiciendae, Hippocrate auctore, qui (5) non solum aegrum observandum commendat, sed etiam omnia, quae sint in eo et circa eum. Quibus praemissis jam ipsas commutationes periodicas et vitae sanae et morbosae, in quibus numerus septem insignis notabilisque apparet, enumerabimus, omissis omnibus iis animadversionibus, quae nimis incertae, neque experientia omnium aetatum sanctae esse videntur, quum altera ex parte multa facta simpliciter negata vel derisa, ex altera autem nimio numerorum amore multae ineptiae prolatae sint.

(1) Opera med. Vol. I, 389. Vol. VI, 178.
(2) Fieberlehre I. §. 99.
(3) Comment. in Boerh. aphor. T. I, §. 587.
(4) Anfangsgründe der Arzneiwissenschaft p. 31.
(5) Aphorism. sect. 1. Vol. III, 706.

II.

„Mille sanitatis formae, perpetua mutatio et tota vita nil nisi febrium complexus est.“

Leidenfrost, diss. de motibus corporis humani, crisibus et febribus p. 41.

„Ὀλίγα τῶν παθῶν οὐ τυποῦνται.“

Galen. de typo cap. 2.

Secundum Lenhossék (1) cutis transpiratio adaugetur et diminuitur periodis quinorum vel septenorum dierum, quam rem Walther (2) e lunae circuitu atque commutatione explicare studet. Similem periodicitatem Lenhossék (3) attribuit animi humani affectionibus et affirmat, irae, moeroris, tristitiae effectus et sequelas plerumque per septem dies manere et tum saepe subito evanescere. Tamen certae septenariae vitae sanae periodi nondum satis distincte atque constanter observatae sunt, sine dubio, quia in homine voluntate et arbitrio magis dominantibus, non adeo in oculos cadunt, ut eas omnino negare liceat.

Scimus inter sanitatem et morbum, quum notioni primariae vitae subordinatae sint notiones, discrimen absolutum non existere et phaenomena vitae morbosae et sanae essentialiter eadem esse.

Quum igitur in morbo nihil observetur, quod non prototypum habeat in vita sana, eaque legitima, periodus autem septenaria in morbosa tam insignis et constans sit, eandem etiam in sana existere opinari licebit. Itaque accuratiore et

(1) Lenhossék, Physiolog. III, p. 341.

(2) Walther, Physiolog. I, §. 276.

(3) Lenhossék, Darstellung d. menschl. Gemüths. Wien 1824. T. 1. p. 513.

saepe repetita investigatione ac comparatione opus erit, quod eo difficilius, quo magis humani animi autonomia, quae se tantam ostendit in consuetudine atque assuetudine, in corporis vitam dominatur. Ita forsan verisimile est in sanguinis circulatione, corporis nostri actione maxime rhythmica, periodos etiam alias existere, quam eas, quae bis quotidie acceleratione et retardatione significantur, quum inflammationes, quae valde pendent e sanguine, septenarias periodos sequi soleant.

Num consuetudine, praesertim illa permultorum hominum, sex dies laborandi, septimo autem requiescendi et voluptate fruendi, quem ordinem jam Mosaici libri praescripserunt, etiam corporis vitae eadem periodicitas magis minusve impressa sit, non adeo dubium videtur atque ineptum.

Ceterum etiam hic notatu dignum apparet, tempus incubationis avium plerumque sequi periodos septenarias: ita gallina ova fovet per tres, anser per quatuor septimanas, nec aliter se habet graviditas animalium mammalium: cuniculus quatuor, felis octo, sus septendecim, capra viginti duo, elephas centum septimanas partum gerit; atque adeo in animalibus non fecundatis coitus appetentia ita periodice reverti solet, e. g. in vacca post quatuor, in ovibus post duas septimanas; quod denique attinet ad hominem, graviditas quadraginta durat septimanas.

Magis autem elucet periodicitas quater septem dierum, quam sequuntur insecta in exuenda cute, et plantae tropicae, singulis mensibus florentes. Eandem jam Sanctorius observavit in corpore virili, ait enim (1): »Corpora virorum sana et moderatissimo victu utentia, singulis mensibus fieri solito ponderosiora, unius scilicet duarumve librarum pondere

(1) De med. static. sect. I, aphor. 65.

et redire ad consuetum pondus circa finem mensis ad instar mulierum: sed facta crisi per urinam paulo copiosiorem et turbidiorem, quam rem Freind, Mead, de Haen (1) ali confirmaverunt. Deinde illa periodus observata est etiam in transpiratione cutis, nec minus in seminis secretione atque irritatione. Frequentissime autem cernuntur menstruae sanguinis congestiones in partem intestini recti inferiorem et in vasa haemorrhoidaria vel cum sanguinis profluvio vel sine eo praecipue apud viros aetate provectiores. Quae phaenomena quamquam decessum a norma sanitatis significant, tamen relativam quandam sanitatem efficiunt. Praeterea haematemesis, haematuria, aliae sanguinis evacuationes interdum easdem periodos sequuntur, scilicet si ex eadem, qua haemorrhoides, causa atque corporis conditione ortae sunt.

Multo insigniores autem sunt commutationes menstruales, quas conspicimus in omni corpore muliebri: nam quater septem diebus constanter oritur sanguinis congestio in genitalia cum profluvio et exsudatione in uteri parietibus internis, neque in ipsis foeminis infirmissimis, phthisicis omnino deesse solet. Hunc processum vitalem ad sanitatem conservandam et recuperandam necessarium, aeque ac saepe causam multorum morborum esse facile intelligi potest.

Eidem periodo forsan embryi vita etiam subjecta est, quum abortus, qui et in matre et in foetu causam sufficientem habere debet, praecipue tempore illo fieri soleat, quo menstrua apparere debebant, ut videtur, quia menstruae uteri gravidi turgescentiae etiam menstruum vitae embryi incrementum respondet (2). In graviditate denique periodos, quae

(1) Inst. Path. morb. organ. 707.
(2) Burdach, Physiologie T. III, 553.

mensem lunarem comprehendant, distincte constanterque observari satis cognitum est.'

Periodicitatem septennem etiam omnino 'repudiare non licet, utpote quam multae omnium temporum observationes naturae ita sanxerint, ut persuasio popularis facta et ea ab antiquissimis temporibus ad nostra usque propagata sit.

Ut in corporis evolutione in spatio semper formationes, quae jam antea, etiam in corporibus non tantae evolutionis, adfuerunt, magis minusve iterantur, ita etiam in tempore certa conditionum successio quanquam modificata semper repetita apparet. Primum in vita duas cernimus res sibi oppositas, evolutionem et revolutionem, inter quas tempus situm est stationis, maturitatis. Eundem ordinem videmus in singula matamorphosi progressiva et regressiva omnium corporis organorum systematumque, nec minus in functionum apparitione et evanescentia. Vita in corpore in directiones diversas divisa, tanquam polarisata semper est et in statu sano et in morboso, in quo quidem certa directio semper praevalet; ita fit, ut vitales actiones modo in hac, modo in illa parte adauctae, excitatae, in alia debilitatae, silentes appareant, et tempore, quo nova certae partis evolutio seu metamorphosis instituitur, alia pars minus valide potentiae cuidam nocenti resistere possit. Inde varia corporis ad morbos praedispositio variis aetatis stadiis. Certis temporibus, quae igitur stadia nominare possumus, corporis metamorphosis quasi gradibus quum magis in oculos cadat, progreditur seu regreditur, quare quum magis minusve certi aetatis sint anni, anni gradarii seu climacterici, critici seu decretorii, fatales, natalitii et quia praecipue periodum septenariam sequi videbantur, hebdomatici nominati sunt. Jam Pythagorici philosophi eorum mentionem faciunt, ipsi autem a Chaldaeis cognitionem

sibi parasse dicuntur. Annus septimus quartus decimus, vicesimus primus, vicesimus octavus, tricesimus quintus, leviores, quadragesimus nonus, quinquagesimus sextus, sexagesimus tertius, septuagesimus graviores existimabantur (1), praecipue sexagesimus tertius, perniciosus judicatus, fatalis, magnus seu heroicus nominabatur, quam rem jam Gellius ita refert (2): »Observatum est, sexagesimum tertium annum cum periculo et clade aliqua venire, aut corporis animique morbi gravioris, aut vitae interitus, aut animi aegritudinis.«

Jam foetus certis crescit periodis, primum se movet ter septima, ad propriam vitam degendam idoneus factus est quater septima, paritur sexies septima hebdomade; vitam degit e matre omnino dependentem, sed eo ipso ab externis noxiis plerumque tutam.

Infantia, usque ad aetatis annum septimum. Infans e matre lactante pendet etiam usque ad primam dentitionem, quae septimo mense incipit. Aegrotandi facultas et mortalitas tum major est quam tota reliqua vita propter vehementes partum sequentes commutationes neonati, qui valde afficitur ab externis noxiis, aëre, luce, temperie, cibo, aliis. Dentitione perfecta systema coctionis perfectum est. Deinde motus exercentur automatici, vox, loquela, funguntur organa sensuum. Nisus formativus est permagnus et cum succorum fluxu praecipue in caput versus est; inde eruptiones cutaneae in hac corporis parte, Tinea, Serpigo, Crusta lactea; in systemate digestionis: Diarrhoeae, Helminthiasis, Gastromalacia; in systemate motorio Convulsiones; in respiratorio Bronchitis, Angina; in cerebrali Hydrocephalus etc.

(1) Fr. Hoffmann Opp. Vol. V., p. 89. sqq.
(2) Gell. noct. attic. lib. XV., cap. 7.

Pueritia usque ad annum quartum decimum.

Primis dentibus amissis fit eruptio dentium permanentium; glandula thymus decrescit; cerebrum et ossa magis conformantur. Morbi respondent: Morbi cerebri, Hydrocephalus; Rhachitis, Scrophulosis; Scarlatina, Morbilli.

Adolescentia, Pubescentia usque ad annum vicesimum primum.

Succorum directio immutata; vertitur ad organa respirationis et praesertim in sexu sequiori ad genitalia, ad quae menstrua sanguinis congestio agitur. Organa respirationis, vocis et motoria perficiuntur; praevalet quod attinet animum phantasia. Respondent huic nisui formativo: Congestiones activae, ad pectus graecipue et genitalia; morbi inflammatorii, morbi cordis et pulmonum; Chlorosis; in systemate nervoso Hysteria, Chorea sancti Viti, Epilepsia.

Iuventus, aetas florida usque ad annum vicesimum octavum vel secundum nonnullos auctores ad tricesimum quintum, periodo duos comprehendente septenarios. Omnes corporis partes ad justam magnitudinem ac vim perveniunt, magna est variorum organorum, systematum, functionum aequabilitas, harmonia, unde generatim rara aegrotatio; magna vis regeneratrix. Claritas rationis, voluntatisque consilium magis elucere atque regnare incipit. Praesertim in sexu muliebri specialis ad morbos dispositio notanda est, quae oriatur ex conceptione, graviditate, partu.

Aetas virilis usque ad annum quadragesimum secundum vel nonum.

Tempus maturitatis, summae corporis evolutionis atque partium functionumque harmoniae. Maxima vis generandi, quasi crescendi supra proprium corpus, maxima ingenii vis creatrix; regnum voluntatis. Minima ad morbos dispositio,

quamquam memorabile est, plurimos mente captos esse inter aetatis annum vicesimum et quinquagesimum (1), quasi summa animi evolutio maturitasque etiam summam morbosae alienationis facultatem complectatur.

Aetas consiliaria seu remissa usque ad annum quinquagesimum sextum.

In sexu muliebri prius incipit, jam menstruatione anno circiter quadragesimo quinto simul cum facultate concipiendi cessante. Praeterea sanguinis conditio magis venosa facta est, atque succorum fluxus in abdomen conversus, ubi congestiones passivae oriri solent; sanguinis circulatio et calor vitalis diminuuntur; adauctae hepatis ac renum functiones, quid multa, incipientis corporis revolutionis signa ante oculos habemus. Morbi: Scirrhositas mammarum, uteri, polypi; diathesis carcinomatosa, fungosa, arthritica, lithiaca, haemorrhoidalis; vitalis vis quasi in materiam dominari amplius nequit, quae in varias productiones degeneret.

Aetas veterana s. prima senectus (F. Hoffmann) usque ad annum sexagesimum tertium.

Incipit rigiditas, praevalente corporis materia solida; vita fit magis centralis, quum sanguis recreans animansque ab organis peripheriicis centrum versus se retrahat. Simul vis generatrix et in corpore et in animo diminuitur. Itaque defluvium capillorum, amissio dentium, variae affectiones cutaneae, alvi adstrictio, dysuria, asthma, marasmus; organorum sensuum hebetatio (cataracta), animi actionum defectio, prae-

(1) Friedreich, Diagnostik der psych. Krankheiten. Würzburg 1832. p. 289. (Unter 7606 Irren waren 5470 zwischen dem 20. und 50. Lebensjahre.)

sertim memoriae circa nomina propria. Senectus altera usque ad septuagesimum, Senectus decrepita ad septuages. septim. annum. Vitae finis ipsa fortasse una tantum periodus est nostrae existentiae et mors terminus nostri decursus terreni et novi initium.

Quod attinet ad morbos, quibus numerus septem momenti est, jam Galenus dixit paucos tantum non typice decurrere, fortasse autem omnes, quum omnis vita rhythmice decurrere videatur; in morbis chronicis periodi aut difficillime observandae, aut consuetudinis vi, vel diversitate conditionum morbosarum, quae complicatae esse solent, obscuratae sunt. Distinctam contra periodicitatem videmus in morbis acutis, praesertim in quibus mera inflammatio adest, deinde in morbis mere nervosis. Ceterum in morbis distinctior est quam in sanitate, ob adauctam sensibilitatem; sed primum liceat morbos, qui maxime septenaria periodicitate excellant, enumerare.

In omnibus morbis certo brevique temporis spatio decurrentibus, contagiosis, febrilibus, inflammatoriis, exanthematicis, septimus dies, quo crisis aut salutaris aut lethalis exspectanda sit, maximi est momenti; morbi acutissimi jam quarto, scilicet dimidia septenarii parte, decernuntur, alii producuntur ad quartum decimum, vicesimum primum, octavum etc. ut in variis typhi, dysenteriae speciebus et epidemiis.

Morbi exanthematici perdurant duos vel tres, quatuor septenarios, tamen status inflammatorius nonnisi usque ad diem septimum se extendit, quo e. g. in variolis suppuratio, nova exacerbatione febrili praegressa, incipit, sed in scarlatina, morbillis, aliis desquamatio, quae unam, duas septimanas durare potest.

Maxime autem regularem periodicitatem ostendunt febres

intermittentes; quotidiana et quartana raro cessant ante paroxysmum quartum decimum, tertiana ante septimum nonumve. Quotidiana et quartana facillime recidunt post quatuordecim, tertiana post septem dies. Interdum etiam febres intermittentes septimanae observatae sunt (1). Praeterea typus septimanus repertus est in Hydrophobia (Schmucker), Epilepsia etc. Quarto decimo quoque die: febris (Werlhof, Testa), Cephalalgia (Fr. Hoffmann), Asthma (Mead). Frequentior tamen clariorque typus est menstruus, scilicet viginti octo dierum: Febris (Werlhof), intumescentia in occipite (v. Swieten, Medicus), creberrime autem haemorrhagiae: Epistaxis, Haematuria, Haematemesis, Haemorrhoides; deinde Epilepsia, Noctambulismus, molestia entozoorum, strumae menstrua. Certis denique temporibus abortus accidere solet, septimo graviditatis mense, deinde, dimidia hujus temporis parte, inter mensem tertium et quartum. Certis annis, quos climactericos supra diximus, certi morbi lethales fiunt, ut Hydrocephalus chronicus, secunda dentitione anno aetatis septimo perfecta, sive, ut Scrophulosis, Rhachitis, quae saepe septimo primum se ostendunt, et pubescentia, anno quarto decimo, sequentibus evanescunt. Ita etiam morbi certis annis perniciosi sunt, ut Phthisis praesertim inde a vicesimo primo ad vicesimum octavum. In morbis epidemiis, qui tam distinctis temporibus decurrunt, periodicitatem etiam valere suspicandum est; ita secundum Prosperum Alpinum in Aegypto pestis septimo quoque anno revenit, variolae in

(1) Hippocrat. Epid. I, 1. Morgagni de sed. et caus. morb. epist. 49 n. 36. Boerhave teste v. Swieten, in Comment. ad aphor. 746. Hufeland's Journal V, Sct. 1. p. 45 (Septimana cum quotidiana).

Europa eodem intervallo, febris flava in insula St. Domingi quarto decimo quoque anno. Sed jam transeamus ad considerationem causarum principum periodicitatis.

III.

Quae febrium natura, quae ordinis in motibus febrilibus causa sit, qui horarum, dierum, hebdomadum, mensium annique temporum tam curiosam suis periodis et typis rationem habent, ut in horologium aliquod et astronomorum calculos jurasse videantur, nepotibus forsan aliquando nostris dilucidius intueri dabitur.

Werlhof obs. de febrib. Sect. VI, §. 111.

Omnes, qui in terra existunt organismi, existere non possunt, nisi certis terrae conditionibus et certis mutuis inter terram et reliqua mundi corpora rationibus. Quorum maximi momenti esse videntur sol, circa quem terra rotando circumit et luna, quae eam in cursu semper sequitur. Certa inter vires terrae et solis in organismos agentes ratio esse debet, quare maximam generis humani perfectionem in regionibus inter circulos tropicos et polares videmus. In tropicis nimium valet sol et distinctas vitae organicae periodos efficit, in polaribus terrae vires internae maxime liberae esse et praepollere videntur. Quotidiana diei et noctis vicissitudo pendet ex rotatione terrae circa axim, annua periodicitas e circuitu circa solem. Quod attinet ad periodos menstruas et septenarias, jam ab antiquissimis temporibus ad lunam relatae sunt, alii autem ejus virtutem plane negaverunt. Certum est, e luna suspensum esse fluxum refluxumque maris, et gravitatione

lunae barometrum, luce concentrata thermometrum affici, argentum nitricum nigrescere, magnam denique esse vim in plantas, praesertim inter circulos tropicos, plenilunio, interlunio et in solis, lunae defectibus, si luna tum in epigaeo, terra in ephelio est. Menstruatio, plurimi partus in syzygiis observati sunt, et solem magis in vitam animalem, lunam magis in vegetativam agere, ex morbis elucet, qui in syzygiis maxime accessiones faciunt, ut noctambulismus, chorea, hysteria, epilepsia, asthma, helminthiasis, et constat luna decrescente vermes et strumas facilius evanescere. Tamen semper respiciendum est typum etiam a corpore determinari et periodicitatem, quam ante oculos habemus, semper prodire, compositam esse periodis, quas sequitur vita organica per se; periodicitate, quam terra in propria vita sequitur, et organismis ex ea ortis et cum eadem conjunctis semper communicat; periodicitate, quam sol habet in actione animante, quam in totum systema suum planetarium exercet; periodicitate, quae ab actione et reactione terrae lunaeque efficitur; denique ea, quam alia sidera fortasse, quamquam certe exiguam habent. Maximi enim momenti est distinguere vitam organicam et macrocosmicam, perpetua inter ambas existit actio et reactio, perpetuo vita organica vitae conditionibus universalibus, aëre, cibo, luce, calore, i. e. vita macrocosmica, in quam perpetuo resolvitur, regeneratur; itaque etiam typum sequi debet, quem vita cosmica. Quo magis autem organismus terrae est affixus, eo magis typum sequitur vitae, quae terrae inest propria, et vulcanicis eruptionibus, electricitatis, magnetismi fluctuationibus sese manifestat. Deinde respicienda est periodicitas organica, quae perpetuum se evolvendi et tamen perseverandi nisum causam habet: quo fit, ut post actionem, post virium consumtionem, post mortem par-

tialem, restauratio regeneratio, ope universalium vitae conditionum necessaria sit, ut videmus in rhythmica sanguinis, respirationis, intestinorum, nervorum motu et actione, in somni vigiliarumque alternatione. Inde forsan etiam annorum climactericorum ordo, qui, nisu se evolvendi maximo, i. e. vita incipiente tam distincti observantur, ut secundum Magendie (1) corpus septenis annis circa structuram et mixtionem plane renovetur, aliud fiat.

Quantum quidem in humano corpore periodicitas diminui, alienari, inverti possit, ex voluntatis vi, e praeponderantia, animi, psychica autonomia, satis constat. In morbis vero vita magis fit vegetativa, animi vi decrescente, corpus humanum magis terrae affigitur, plantae simile fit, unde distinctior periodicitas, quum externae res, contra quas corpus sanum valide reagit, nimium praevaleant atque propriam naturam imprimant. Quaenam vis in casu concreto, in certo morbo periodicitatem praecipue provocarit, difficillimum est ad dignoscendum, quum terrae vita rhythmica, cosmici typi adhuc valde ignoti sint et semper organicus typus computetur necesse sit. Itaque tempore futuro, quo astronomicis et praesertim physicis experientiis certiores facti erimus de natura virium illarum, quas imponderabilia agentia vocamus, accuratior etiam corporis humani indolis periodicae explicatio exhiberi poterit; semper autem verba, quibus finiam, respicienda sunt illa, quae de hac materia Humboldt fecit (2): »Wie in dem zarten

---

(1) Physiologie übers. v. Heusinger. Eisenach 1834. I. p. 25.

(2) A. v. Humboldt, Versuche über die gereizte Muskel- und Nervenfaser. Posen und Berlin 1797. T. II, p. 188.

Bau der Pflanze, bringt das Licht des Mondes, ja das der entferntesten Weltkörper, gewiss auch im Menschen Veränderungen hervor. Aber wenn tausend stärkere Kräfte gleichzeitig auf uns einwirken, verschwindet die Wirkung der schwächeren.«

VITA.

Natus sum ego, Conradus Christianus Henricus Ulrich, Essendiis, urbe prope Rhenum sita, anno millesimo octingentesimo vicesimo primo, patre Conrado Ulrich, matre Henrietta e gente Schnap. Fidem confiteor evangelicam. Gymnasium frequentavi Vesaliense per septennium, per unum annum et dimidium autem valetudine adversa domi retentus sum. Anno MDCCCXL. universitatem literarum Fridericam Guilelmam Rhenanam adii et rectore magnifico Ill. E. M. Arndt ab ordinis medici decano Ill. Weber inter medicinae studiosos receptus sum. Tertio studii anno per semestre hyemale rursus adversa valetudine, nec non rebus gentiliciis domi retentus sum. Per semestre insequens aestivum Bonnae, insequente autem hyemali Heidelbergae medicinae studium continuavi, ubi a prorectore magnifico Ill. Lewald inter cives academicos receptus sum. Tempore denique paschali hujus anni Berolinum profectus, in hac literarum universitate insigni rectore magnifico Ill. Hecker ab ordinis medici decano spectatissimo Ill. Wagner medicinae studiosis adscriptus sum.

Praelectiones, quibus per studiorum tempus interfui, hae sunt:

Bonnae: Anatomia Ill. Mayer et Weber; physice Ill. Pluecker; botanice Ill. Treviranus; zoologia Ill. Goldfuss; mineralogia Ill. Noeggerath;

chemia Ill. Bischof; logice et psychologia Cel. Calker; encyclopaedia et methodologia artis medicae, pathologia, therapia Ill. Naumann; physiologia, therapia Ill. Nasse; materia medica Ill. Bischoff; chirurgia Ill. Wutzer; ars obstetricia, de instrumentis obstetriciis Ill. Kilian.

Heidelbergae: Splanchnologia et neurologia Ill. Henle.

Berolini: Medicina forensis, politia medica Ill. Wagner.

In exercitationibus practicis duces mihi fuerunt: Bonnae in cadaveribus dissecandis Ill. Mayer et Weber; in exercitationibus ad phantoma Ill. Kilian; in clinicis medicis Ill. Nasse; Heidelbergae Cel. Pfeufer, Berolini Cel. Wolff; chirurgicis Bonnae Ill. Kilian, Wutzer, Heidelbergae Ill. Chelius, Berolini Ill. Juengken; in obstetriciis Ill. Kilian.

Quibus viris omnibus, valde de me meritis, gratias ago semperque habebo maximas.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione una cum thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Omne vivum ex aqua.
2. Nullum inter chirurgum et medicum discrimen essentiale.
3. Vis musculorum pendet e nervis.
4. Ubi stimulus ibi non affluxus, sed stagnatio.
5. Nihil instituat medicus sine diagnosi.
6. Sanguini vita propria haud inest.
7. Auscultatio et percussio pectoris solae diagnosin morbi non stabiliunt.